



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Consolator Fidelis Et Proficientis Animæ seu  
Exhortatiunculæ Spirituales Et Succinctæ In singulas  
Dominicas & Festa anni divisæ, quibûs Confessarius in S.  
tribunali animam Deum verè quærerentem paternè ...**

**Eisvogel, Veremund**

**Augustae Vindelic., 1727**

14. S. Ludvina Virgo

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52716](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-52716)

III.

**S**Alvator sub specie peregrini ad Beatam Idam accedens, illius pectus manib⁹ suis reserat, & per apertum lat⁹ sese totum intrā ipsam recipit. Fili! quantum hoc amoris prodigium! Sic est: Cor mundum, & vanitatibus vacuum possidet Deus. Quæ enim Conventio Christi cum Belial? Cadat Dagon! regnet Jesus in cordibus nostris!

## *Instructio meritoria.*

Custodiamus strenuè sensus, & cœlestibus solùm intendamus, tres visitationes extraordinarias instituendò, & semper *Officium* de SS. ac dulcissimo Nominе Jesu recitandò. Quò plus potantur, plus sitiuntur aquæ. In Nomine Jesu omnis suavitas, & dulcedo.

## Festum S. Ludvinæ Virginis

## Speculi Patientiæ lucidissimi.

## **EXHORTATIUNCULA I.**

**S.** Ludvina adhuc balbutiens prima  
verba in *Ave Maria* formavit. Fi-  
li! si prima hæc in ore nostro non fuit  
Matris salutatio; vivamus sanctè, & ca-

N 7                        stè,

stè, ut saltē morientibus sit ultima.  
Verba enim hæc verba salutis, & æternæ  
felicitatis sunt.

*Instructio meritoria.*

Ut mereamur mori sub invocatione  
Sanctissimorum Nominum Jesu & Ma-  
riæ, eentes cubitum, & jamjam obdor-  
mituri quotidie suspiremus: *Jesu! Ma-  
ria! Joseph!* in manus vestras commen-  
do corpus & animam meam nunc, & in  
hora mortis. Amen. Recitemus quo-  
que Lycanias Lauretanas. Mariophilus  
nescit loqui nisi Mariam.

II.

**F**illi! quām sumus delicati? Ludvini  
Sponsa Dei dilectissima, triginta  
octo annos cruciatur in singulis corporis  
partibus. O cur nobis ita parcit Deus?  
Timendum, ne differat in vitam alte-  
ram. Gaudeamus ergò, si manus terti-  
gerit nos. Castigat solūm, quos amat  
& recipit.

*Instructio meritoria.*

Infirmum, si quem sciamus, visitemus,  
& verbō consolationis excitemus, ani-  
mantes ad firmam in Deum confiden-  
tiam.

tiam. Nos verò , ut Deus omnibus afflictis largiatur Christianam fortitudinem cum patientia , oremus Psalmum : *Domine ! quid multiplicati sunt &c.* cum *s. Pater & Ave* in honorem Passionis Dominicæ. Si hæc nos non consoletur , quid consolabitur afflictos ?

## III.

**T**Antos inter dolores quid agit S. Ludvina ? Lætatur , & longè pati majora desiderat. Et pro quo ? O stupendam charitatem ! dolores suos obtulit Christo Domino in refrigerium animarum in purgatorio lugentium , cum hac petitione : *Iesu ! miserere afflictarum.* O illustre amoris , & patientiæ spectaculum ! non trahet in sequelam ? fili ! curramus potius !

*Instructio meritoria.*

Quidquid adversitatis , vel tribulatio-  
nis nobis obvenerit hodie , patiamur  
hilares , & offeramus per gloriosas S.  
Ludvinæ manus omnibus defunctis , ad-  
dendō etiam Vespertas *ex Officio Defun-  
ctorum.* Horum redemptio erit no-  
stra

stra salvatio. Fratres Jesu sunt : misereamur !

Festum S. Anselmi Archiepiscopi Canutiensis Virginitatis Marianæ Defensoris acerrimi.

EXHORTATIUNCULA I.

**S** Anselmo unde tanta de rebus Divinis, & altissimis scientia ac doctrina ? A scientiarum Regina, Matre sumamabilissima Maria : Hujus Innocentiam primam ore, & calamō constanter defendit, templa condidit, ad cultum Mariæ perpetuum pia corda exstimulavit. Hinc illa insignis D. Anselmi prærogativa, quòd Deipara eidem præcepit, celebrare Festum Conceptionis sua sine macula. O solemnitatem, ad quam cœli exultant, & omnes Angeli lætantur !

*Instructio meritoria.*

Gratulemur toti S. Benedictino Ordini, quòd talem in Anselmo nactus sit filium. Ut mysterium Immaculatae Conceptionis in omnem exeat terram, & in fines orbis terræ, formulam Votum

vnam